

E PROVINCIA HOLLANDICA

**Funebre Cardinalis van Rossum
monumentum sollemnissime inauguratur**

In ecclesia nostra Wittemiensi, nuperrime multa cum arte picta, d. 22 Maii h. a. Eñus Card. Petrus Fumasoni Biondi, Praefectus S. C. de Propaganda Fide, magni sui Praedecessoris mausoleum sollemni ritu inauguravit.

Mortuo Mosaetraiecti a. 1932 Eñno Cardinali van Rossum, omnes uno ore consentiebant desiderari monumentum, quod, digne celebrans pergrandem hunc Principem Ecclesiae, Neerlandiae catholicae animum gratum interpretaretur in Deum, quippe qui eum e populo nostro suscitasset. Inde peculiaris commissio constituta est, quae rem talem haud levem ad finem felicem perduceret. Exquisito ex patriae artificibus pretio solvendo, repertum est eorum aestimationem commissionis vires pecuniarias superare. Unde oculos Romam convertere, ubi traditio et usus hanc speciem artis magis commendant.

Opus itaque demandatum est cl. Romano sculptori Henrico Quattrini, ex cuius officina prodiit novum monumentum conceptu et executione omni laude dignum (fig. 1 et 2). Supra sarcophagum effinxit e marmore Carrario Cardinalem nostrum multa gratia et venustate cappa magna indutum, genuflexum et manibus iunctis versus altare orantem. Supra statuam aere redditur vitae defuncti Cardinalis summa: exsequi mandatum Christi: *Ite, praedicate Evangelium omni creaturae*. Praesertim studium eius ardens formandi clerum indigenam exprimere intendit. Sarcophagus ex marmore nigro factus hanc refert inscriptionem:

SUSCITATUS A TERRA INOPS
COLLOCATUS CUM PRINCIPIBUS POPULI DEI
PIUS, FORTIS, CONSTANS
INNUMEROS SUAVISSIMO CHRISTI SUBDIDIT IMPERIO
GULIELMUS MARINUS CARDINALIS VAN ROSSUM
C. SS. R. S. C. DE PROP. FID. PRAEF.
NATUS 3 SEPT. 1854, VITA FUNCTUS 30 AUG. 1932
AETATIS SUAE \overline{AO} 78

Sumptus tulerunt permulti benefactores et nonnullae Congregationes religiosae, quarum Protector fuerat Cardinalis noster. Horum nomina, theca plumbea inclusa, monumento inserta sunt.

Commissio, quam supra commemoravimus, per dioecesis Ruraemundensis Episcopum invitavit hodiernum Praefectum S. C. de Propaganda Fide, ut monumenti inaugurationem perageret, cui invitationi Eŕmus Card. Fumasoni Biondi benigne annuere dignatus est. Quanto autem honori nobis duxerimus per tres dies hunc insignem Ecclesiae Principem in Neerlandia, ubi perraro aliquem e Purpuratis Patribus videmus, in medio nostri habere, latius exponere non est necesse.




FIG. 1 et 2. — Ipsum monumentum.

Pridie diem inaugurationis Eŕmus Vir Aquisgranum advenit. Aderant ibi e nostris A. R. P. Rector Wittemiensis A. Saut et duo pristini secretarii Cardinalis van Rossum, R. P. J. Drehmanns et R. P. B. Lijdsman. Vaalsii ad limites Neerlandiae salutant Internuntius Apostolicus Hagae Comitum Exeŕmus P. Giobbe et immensa multitudo cum praefecto civium et symphonia. Ecclesiae nostrae Wittemiensi appropinquans egregius Hospes excipitur ab Exeŕmo Antistite dioecetano J. Lemmens et a communitate nostra (fig. 3). Huic tamen ingressui, utut splendido, nolumus diutius immorari; properemus potius ad ipsam sollemnitatem.

Post prandium in honorem Cardinalis exstructum, hora 2 ¹/₂, ecclesia coadunavit illustrium invitatorum coetum, qualem nunquam forsam ante

aspexerat. A dextra monumenti thronus erectus erat cardinalicius. In presbyterio sedere Internuntius Apostolicus, Exc^mi DD. Archiepiscopus J. de Jong et Episcopi J. Lemmens et J. Buckx, duo Abbates Cistercienses unusque Praemonstratensis, Superior Generalis Crucigerorum Van Dinther, Pl. R. P. Provincialis M. Mol, ministri catholici Goseling et Welter, comes Romanus G. Dreesmann et comes d'Ansembourg. Ante monumentum alii invitati amplius centum: dignitarii ecclesiastici civilesque, Superiores Or-



FIG. 3. — Ante domum nostram Wittem Exc^mus Episcopus Ruraemundensis J. Lemmens E^mum D. Card. Fumasoni Biondi salutatur.

dinum et Congregationum etc. Nominatim memoremus adhuc sculptorem prof. Quattrini cum filio Carolo.

Intrante ecclesiam Cardinali chorus Fratrum studentium antiphonam intonat *Ecce sacerdos magnus*. Cantato dein *In nomine Iesu*, praeses commissionis, Praelatus J. Hoogveld, orationem panegyricam habuit de nostro Cardinali. Postquam orator E^mo Cardinali Praefecto reverenter gratias egit, vitam defuncti revolvit signis indubiis divinae Providentiae notatam et virtutum insignium feracem. Ex qua oratione praeclara excerpimus ea, quibus extollitur defuncti Cardinalis opera, « excrescens demum et personans in dithyrambum talis apostolatus mundialis ».

« Novam inducit methodum, qua S. Congregatio de Prop. Fide opus suum exerceat. Viam sternit, ne quid plus dicam, ad publicandas duas

Encyclicas *Maximum illud* et *Rerum Ecclesiae*, quae intime huius apostolatus spiritum attingunt et pervadunt. Quasi alter S. Paulus regiones missionales perlustrat. Erigit Missionum Seminaria. Infundit pluribus, sive Ordinibus religiosis sive aliis institutis, novum vigorem, quo spiritus missionalis magis exardescat. Concipit ipse novum Collegium de Prop. Fide; invigilat aedificii erectioni et promovet in eo tum scientificam instructionem tum vitae spiritualis ductum. Quasi mirabilis panum multiplicator ipse Missionum regiones multiplicat. Quaestionem intricatam de clero indigena constanti animo feliciter absolvit. Non modo ubique terrarum ignem amoris erga Missiones accendit, sed ipse quoque in se suscipit magnum laborem excogitandi media, quibus auxilia pecuniaria, adeo necessaria, acquiri possint, aut quae exstabant media innovandi. Quibus accedit absconditus et quasi ordinarius labor, quo quaestiones et difficultates cotidianas solvit.

» Haec omnia saepe peraguntur inter aerumnas maximas post bellum gentium exortas, oppugnantibus hic imperialismo, illic nationalismo vel individualismo. Anxietates innumerae et dolor acerbus occulte toleratus effecerunt ut gratiarum imbres super praedicationem Christi crucifixi descenderent et opera eius tam frugiferum incrementum a Deo reciperet. Hac ratione hic Missionarius, qui omnia poterat in Christo se confortante, laboravit usque ad extremam vitae senectutem, utpote quasi iam moribundus trigesimum Episcopum missionalem consecrans, dein exhaustus oppressusque labore bonum certamen finiturus. »

In fine orator monumentum tradidit rectori ecclesiae, rogavitque Eñum Card. Praefectum, ut velum amoveret. Monumento revelato et serto pretioso ante basim posito, Cardinalis Fumasoni, stans in throno suo, Gallice hunc in modum locutus est:

« Libentissime invitationi aurem praebui ad inaugurandum monumentum funebre magni mei Praedecessoris, cuius memoriam nulla delebit oblivio. Sic venerationem meam erga Cardinalem van Rossum meamque admirationem singularium eius meritorum patefacere desidero, insimul gratum meum animum erga catholicos Hollandiae, qui Missionibus exteris subsidio sunt validissimo ».

Eñus Princeps dein depinxit progressum mirabilem actionis missionalis, quibus annis Cardinalis van Rossum praefuit S. Congregationi de Prop. Fide. « Huius Pentecostes missionalis », ita Eñus Orator, « defunctus magnam sibi partem vindicare potest. Est dignus tali monumento. Totum se devovit Missionibus sagacitate, generositate, firmo animo, oratione. Oratio eius robur in vita fuit. Quoties inveni eum, cum eram Secretarius Propagandae, genuflexum ante altare, ubi vires reficiebat ad opus suum laboriosum peragendum! Si magna fecit, ea perfecit ideo quod homo orationis erat. Unde gratulator sculptori de habitu Cardinalis, genuflexi

ante Deum, elevantis sese ad Deum, pleni Deo, viventis de Deo, cum Deo, in Deo ».

Finem faciens Eñus Dominus: « Vivit adhuc », inquit, « inter nos, vivit apud Propagandam in corde et mente successoris sui aspirantis ut eum imitetur. Vivit in propenso animo missionariorum omniumque qui eum cognovere. Catholicis Neerlandiae sit incitamento ad apostolatam et ad fidelitatem erga Summum Pontificem Pium XII, qui paucos ante dies mihi dixit se spiritu hic adesse et omnibus benedictionem apostolicam impertire ».

Maximas posthac gratias Eñno Oratori egit P. Rector Saut ob eius adventum et verba dicta, commissioni autem ob labores exantlatos. Alacri demum et ardenti animo schola cantorum cantavit responsorium *In medio Ecclesiae* et *Christus vincit*, Cardinalis autem, relicta ecclesia, per plateam populo benedicens, in domum revertitur.

Eñus D. Card. Fumasoni Biondi praesentia sua et mirabili comitate plane unicum splendorem dedit inaugurationi monumenti, quod posteris enarrabit de pietate et zelo apostolico defuncti Card. van Rossum. Solemnitas erat magna apotheosis a Neerlandiae catholicis venerando defuncto oblata Wittemii, ubi tot annos vitae suae degit studens, Lector, Praefectus studentium et Rector, ubi tandem, divina ita disponente Providentia, resurrectionem suam gloriosam expectat.
